



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Die Schedelsche Bibliothek

Stauber, Richard

Freiburg im Breisgau [u.a.], 1908

13. [Ulsen?] an [Hartmann Schedel].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54213)

Et per optimum librorum ligatorem de novo in corio albo porcino et aliis ornamentis decorare feci, pro quo sibi florenum dedi ut nunc liber iste pro utilitate medicorum sic clarescere poterit ad laudem dei: post hoc bibliothecam eorum variis novis libris ornaverunt qui eis ad utilitatem cedere possunt.

HA. S. D.

11. Dr art. et. med. Burdhard Hornek an Hartmann Schedel. Würzburg, 16. August 1505 (4^o Inc. s. a. 1046, Einlage). Übersendung eines gedruckten Gedichtes des Verfassers, des Carmen de ingenio sanitatis, das an Erzbischof Berthold von Mainz gerichtet ist.

Preclaro Arcium et medicine doctori famosissimo d.[omino] M.[agistro] Hartmanno Schedel Nurinbergensi prothomedico preceptori suo observantissimo.

Iesus.

S. p. d. Tametsi longa taciturnitas brevi colloquio terminari non potest, attamen iubeo te salvere summo corde, totis viribus, quoad Vires valeant, dii tibi omnes omnia optata ferant: et tibi et mihi in rem recte conducant nostram. dii vortant. id petam id prosequor corde et animo rogo. Verum ut hunc tibi singulariter commissum atque favorizatum habere velis summis precibus oro. pro quo si nulla unquam processerunt merita, hoc unum polliceri audeo: ad quemcunque statum pervenero me tibi eternum [sic!] fore devictum [sic!] atque obnoxium. Vale et me ama. Tuas expecto litteras. Hunc codicillum ad te misi propter antiquam necessitudinem nostram.

Munera ne credas animus pietate revulsit.

Sit tibi quod ymo corde favore velim.

Ex Herebipolim [!] altera post assumptionem [!]. Anno a carnali Christiano 1505. B.[urckhardus] de Hornek tuus divisim [?] in pari [?] habitus [?].

Auf der Außenseite Notiz Schedels: Presentata 20. Augusti. Anno 1505.

12. Petrus Danhauser an [Hartmann Schedel]. Undatiert (Cm. 23877, fol. 181^e). Bitte um leihweise Übersendung der Vita S. Sebaldi.

Egregie preclare domine doctor: Nonnulli egregii cives Vitam sancti Sebaldi emendandam castigandamque me obtinuerunt. eis enim denegare et turpe et grave duxi: quoniam ea vita ita incognita est michi ut ulli. liber item totus emendatione indignus peto per omnes deos et stigios et eliseos: si eadem [?] magistri Sigismundi apud vos sit quatenus per diem non denegetis: Valeat dominacio vestra: citius euro:

Danhusser.

Legenda Sancti Sebaldi.

13. [Uljen?] an [Hartmann Schedel]. Undatiert (Cm. 528, Einlage). Übersendung eines Gedichtes des Verfassers.

Iesus.

Quamvis variis sim impeditus negociis doctor Excellentissime, minime tamen a musis interiungo. illac enim tanquam ad suavissimam recreationem a laboribus me confero. Cum igitur de archatrio nuper inter loquendum, ut scit excellencia tua, sermo incideret, ego quod ocium nactus ea de re his versiculis lusi. volui autem eos ad excellenciam tuam mittere, ut iudicium tuum acre subirent diiudicaresque plane ne hominis ingenium descripsissem. Vale.

In Archatrium.

Ille Sophocleus qui tollit ad astra Cothurnos
 Iactat et ἀρχατριον: ventilat ore sophos:
 Qui loquitur Senecasque graves: tumidosque Marones:
 Civem se iactat Barbarus, Eneadum:
 Quique refert medicas ipsius Apollinis artes:
 Haut aliter nomen quam retinere suum:
 Gemmas et spernit: Massyllaque robora: et orbes
 Improbus: at fulvi somniat era Tagi:
 Qui caput et digito scalpit: linguaque procaci
 Dilacerat cunctos: mollis et ingreditur:
 Scis mihi sit qualis: patrie clarissime doctor
 Non est ἀρχατριος: at tamen ἀρχατήρος.

14. Hieronymus Münzer an König Johann [II.] von Portugal. Undatiert (Fragm. in 4^o Inc. c. a. 424, fol. ult., Abschrift Schedels). Aufsuchen des Kathaierlandes ꝛ.

Serenissimo invictissimoque Ioanni Portugallie Algarbiorum Mauritanieque maritime regi insularumque Madere, Fortunatarumque Catheridarum Azorum primario inventori. Ieronimus Monetarii medicine doctor Germanus sese humilime recomendatum facit. Quia huc usque a serenissimo infante Heinricho avunculo tuo id preconii accepisti quod aperiendo orbe terrarum nulli labori nec expensis pepercisti: tuaque industria Ethiopicum et Genee [= Guinea] mare populosque maritimos usque ad Tropicum capricorni suis mercibus ut auro, granis paradisi, pipere, sclavis et aliis tibi tributarios fecisti: Quo ingenio laudem et immortalem gloriam comodumque insuper maximum tibi peperisti, nec dubium quin brevi tempore Ethioes in humana effigie quasi bestie a divino cultu alienate tua industria bestialitatem exuant et ad catholice religionis observantiam deveniant. Considerans hec invictissimus Romanorum Rex Maximilianus matre Portugalensis, voluit epistola mea quamvis rudi maiestatem tuam invitari ad querendum [sic!] orientalem Cathai ditissimam plagam. Confitentur enim Aristoteles in fine secundi Celi Item Seneca 5^{to} Naturalium Item Petrus de Alliaco¹ sua etate doctissimus aliique quam plures clarissimi viri, confitentur inquam principium orientis habitabilis satis propinquum esse fini occidentis habitabilis. Signum sunt Elephantes: Qui in duobus hiis locis habundant Similiter canne quas tormentum de latere orientis ad littora insularum Azores proicit. Sunt item infinita, ut ita loquar, et certissima argumenta quibus quasi demonstrative conicitur mare illud brevibus diebus posse navigari Cathaium orientalem versus. Nec turbet te Alfraganus et alii inexperti qui solum unam quartam terre dixerunt esse discoopertam mari: terramque secundum tres partes suas immersam esse mari. Nam in rebus spectantibus ad habitacionem terre plus credendum est experientie et probabilibus historiis quam imaginacionibus fantastis. Scis enim quam plures [bricht ab].

Bemerkung Schedels: Incompletum est non longius repertum².

¹ Handschrift: Eliaco.

² Wie ich bei der Superrevision feststellen konnte, datiert der überaus wichtige Brief vom 14. Juli 1498. Im Historischen Jahrbuche Bd XXIX Heft 2 behandle ich seine Bedeutung für die Geschichte der großen Länderentdeckungen. S. 6.